

www.e-rara.ch

**Caspari Bauhini Basileensis De hermaphroditorum monstrosorumque
partuum natura ex theologorum, iureconsultorum, medicorum,
philosophorum, et rabbinorum sententia**

Bauhin, Caspar

Oppenheimii, 1614

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-137160>

[Liber I, Caput XXVI - XXXI]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

dor. Virgil. c. Jornandus de rebus Gothic. & Luitprandus
 d lib. 2. Suecia c. 15. e lib. 4. ap. Belluacens. d. oper. lib. 3. c. 27.
 & ex eo Delrinus. f de morb. part. lib. 2. sec. 1. c. 13. g in hi-
 storialis speculi lib. 21. c. 30. citante VViero lib. 2. c. 46 ex quo
 & Zuring. th. vol. 5. lib. 4. pag. 1340. h lib. 9. i lib. 2. cap. 8.
 itinerarii Cambia Sylv. Gyraldi ad tit. Deorum filii fol. 948.
 k lib. 3. c. 27. l lib. 2. de praestig. cap. 46. m lib. 8. hist. Scot-
 n lib. 5. de aureo asino. o Molin. 1. p. q. 50. a. 1. p. auctor vitæ
 D. Bernhards c. 6. Petr. Binsfeld. p. 1. de conf. malef. c. 5. Laur.
 Ananias lib. 4. de nat. demon. q lib. de pranot.

CAP. XXVI.

*An filii Dei apud Moysen Geneseos se-
 xto, versu secundo, sint dæmones.*

AD comprobationem Incuborum dæmo-
 niacorum, sunt qui locum hunc Prophe-
 tæ Moysis ^o: Cumq; cæpissent homines mul-
 tiplicari super terram, & filias procreassent, vi-
 dentes filii Dei filias hominum, quòd essent
 pulchræ, acceperunt sibi vxotes ex omnibus
 quas elegerant: & paulò pòst: Gigantes autem
 erant super terram in diebus illis: postquam e-
 nim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum,
 illæque genuerunt, isti sunt potentes à seculo,
 viri famosi, &c. adducant, & velint filios Dei
 hoc loco, dæmones esse, qui Gigantes filios
 terræ putatos ex filiabus hominum genuerint,
 idcirco pessimos fuisse. Quare placet quoque
 εν παρόδω, quatuor sententias de filiis Dei & fi-
 liabus hominum addere.

Pri-

Prima & antiquissima fuit Hebræorū, qui filios DEI dupliciter explicant: primò pro Principum, Judicum, id est, magistratum & præpotentum filiis. Nam sic nomen Elohim, id est. DEI, Judicibus sive magistratibus jus dicentibus & justitiam administrantibus, tribuitur. Exodi 22.v.28. quod S. Paulus ⁶ reddit ἀρχοντες ἔλας, inquiring, principi populi nō maledices. Sic hoc loco filii DEI, id est, posteri Seth, hoc est, piorum & sanctorum liberi; nam in Sethi familia & posteritate pietas & cultus DEI remansit. Filias hominum, id est, mulieres ex familia & posteritate Caini, in qua omnis impietas vigeat. In universali autē corruptione diluvium antecedente, inter pios & impios nullum fuit discrimen ampliùs: unde DEUS exacerbatus, totum mundum delere decreverat. Prima sententia, inter Hebræos magis recepta. Altera Græcis quoque probata: unde in Panoplia dogmatica extat, citante Augustino Steucho, οἱ θεοὶ ἐν τῷ σὸθ, θυγατέρας δὲ ἀνθρώπων οἱ ἔκαστοι: Sic Theodoretus & alii quidam.

Secunda quædam sententia est Rabbiorum priscorum, qui fabulis nimio plus delectati fuere. Illi finxerunt spiritus quosdā malos, tempore diluviū præcedente e cælo prolapsos, DEO concedente, ut curam hominū agerent. Illi verò pro naturæ suæ malitia sese cum mulieribus tunc corruptissimis commiscuerunt, & monstrosos Gigantes genuerunt.

De hac re fabula proluxa legitur in libro Jalkut ^c, quomodo duo spiritus Azael & Samgassai, cum DEO hac de re collocuti sint, & ejus permisso in terram delapsi sint, & cum filiabus hominum coierint. Hinc deinceps fabula de Incubis dæmonibus nata. Fuerunt & inter Christianos, qui has fabulas amplexati sunt, ut Lactantius & Eusebius, quam opinionem, ut impiam, Chrysostomus, Augustinus, Theodoretus & Cyrillus refutarunt.

Refert etiam Chrysostomus, filios Seth à DEO creatos fuisse proceræ & excellæ stature, corporeque robustissimo: filios autem Cain, imbecillo & ex guo corpore. Verba ejus sunt: *Γίγαντες ἐκόλεσαν τῆς ἡρώας τῆς Ἀμήκεις. τοῖς τῆς γὰρ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τῆς ὑἱὸς ἔ Σήθ ὑψηλῆς τῆς δὲ καὶν ταπεινῆς καὶ ἐντελεῖς ἵνα καὶ ἀπὸ τῆς ὀφείας φαίνηται ἡ διαφορὰ.*

Tertia est Francisci Vallesii, qui vult, apud Moysen vocari dæmones filios DEI, hanc enim esse phrasin sacrarum literarum: siquidem (ut ipsius verba subjiciam) apud Jobum ^f ita habeatur: quodam die, cùm venissent filii DEI, ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam SATAN. Itaque haud dubiè vocantur in sacris filii DEI, qui apud Platonem Dii minores aut dæmones: ita enim inducit Plato alloquentem Deum in Timæo, Dii Deorum, quorum opifex & pater ego sum: itaque dæmonum patrem se vocat apud illum Deus, & illos consequens est, vocare filios Dei: quid
T ergo?

ergo? confirmamus ea quæ in sacris habentur literis, verbis Platonis ceu antiquioribus & potioribus? absit. Sed suspicamur, Platonem, multos sacros libros legisse, indeq; transtulisse multa in suam Philosophiam, eorum pleraq; non bene intelligens, neq; enim poterat. Illam ergo filiorum Dei appellationem, arbitror eum ex his locis accepisse: ut verò induceret Deum alloquentem filios suos de rerum opificio, commendantemque illis, animalium & hominis maximè formationem, deceptum esse illis verbis capitis primi Geneseos: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Videtur enim illic DEUS alios alloqui, hortarique ad hominis fabricam: quæ tamen verba divinissimum continent Sacramentum, quod ille non est assecutus: intellexit tamen, ut mihi videtur, bene dæmones vocari filios Dei. Sed si ita est, non exiguam dubitandi occasionem præbet hic locus: nam qui poterant dæmones adamare mulierum pulchritudinè, & cum illis congregari? An est illis ea natura, ut tanquàm homines possint mulieribus potiri, & formosis delectari magis, quàm deformibus? quid verò & homines possunt talibus congressibus generari? Aliena quidem videntur esse hæc omnia ab spiritali & incorporea substantia, & natura adeò dissidente. Videntur verò affirmare eloquia divina, non solum natos esse homines ex illis congressibus, sed eos quidem potentes Gigantes, & à seculo viros famosos, quasi

quasi Diis genitos. Omnis etiam gentilitas celebravit Heroas, hoc est, semideos, natos scilicet ex fœminis & Diis, aut viris & Deabus. Atqui quoniam durabat adhuc in memoria hominum illorum, qui non longè aberant à diluvio, Gigantū fama, viros omnes egregios censebant esse ab aliquo Deo aut Dea genitos, ut Herculem à Jove, Achillem à Thetyde, à Venere Æneam: deinceps & Alexandrū ab Hamthone: hinc tam multæ fabulæ, hinc tam nulla adulteria ad Deos referebantur: quæ, quandoquidem dæmones illi colebant pro Diis, eosque vocabant Thetydem, Porcim, Saturnum, Rheam, Jovem, Junonem, Cupidinem & Venerem, ut apud Platonem legimus in Timæo, siquidem congregi cum mulieribus & generare possunt, fortasse non erant prorsus fabulosa & e mentita, sed ex certis rerum eventibus orta. Multis etiam publicis testimoniis constat, certissimè hoc etiã seculo deprehensas esse mulieres, quæ dæmonibus sub hominū specie familiarissimè utebantur, qui cum illis rem habebant, congregiebanturque; frequenter, ut cum propriis uxoribus: viros quoque; quibus fœminea specie succumbebant dæmones, vocanturque; hanc ob causam tales dæmones, alii quidem Incubi, alii Succubi, quos quidem ego suspicor tam multis fabulis inter gētes dedisse principiū, & Incubos quidā Deorū Succubos Dearū peperisse opinionē: hæc Vallesius.

Hanc opinionem Augustinus Steuchus &

Eugubinus, Kifani Episcopus, dudum refutavit, his verbis: Illud rejiciendum separandumque à natura dæmonum vera, & pene inter fabulosos dæmones censendum, quod non modò à nostris quidam, sed etiam prophanæ Philosophiæ Professores plerique sibi persuaserunt, de filiis illis DEI, qui dicuntur apud Mosem filias hominum vidisse, accensosque in earum cupiditate ex eis filios genuisse, qui quum dicantur Hebraicè Nephilim, ab Hebræis nescio quibus, & nostris quin etiam externè Philosophis, dæmones crediti sunt, qui partem divinam atque humanam mistam habuerint, fueruntque multi, filios illos DEI angelos suspicari: è quibus cum multis Hebræis, Josephus ^b, quem tamen Zonaras historicus excusat, quasi angelos ille appellârit filios Seth, ut Deo placentes & angelorum vitam æmulantes. Fuerunt & alii in ea opinione, ut Lactantius ^d, videturque antiquissimus error è libris Mosis non rectè intellectis haustus. Si quidem perhibet Plutarchus, Pythagoram, Xenocratem, Platonem, Chrysippum, superiores Theologos sequentes, credidisse, dæmones fuisse hominibus quidem robustiores, viribusque longè præcellentes, divinitatem, inquit, habentes neque synceram, neque puram, sed cum animæ natura & sensu corporeo conjunctam, voluptatis & laboris capacem. Hoc etiâ credidit Athenagoras Philosophus Christianus. Justinus item, idem Philosophus, &

Tertullianus, omnes ambiguitate vocabuli ducti: arbitratiq̄ue filios DEI, angelos, purof- que Deos, genitos ex eis: alii dæmones, alii heroes vocantes eos, $\Delta\alpha\mu\acute{o}\nu\epsilon\varsigma$ & $\epsilon\pi\alpha\gamma\acute{o}\gamma\epsilon\iota$, amore illo, quo illi filii DEI in fœminas exariffent, filios- que eximie virtutis & audacie genuiffent, quod in Cratylo etiam retulit Plato, & Athenagoras in legatione fcribit. Similis quoque conditio fuit Angelorum. Etenim cum omnes effent liberæ voluntatis, alii in ea, qua creati à Deo fuiffent conditione permanserunt: alii naturam fuam & conditionem violaverunt. Is ergo dæmon, materie & formarum quæ funt in ea, imperator exiit, & cæteri qui ex his circa primum æthera verfantur. Scitis autem nihil abfque testimonio nos prædicare, cum nitamur dictis Prophetarum. Illi igitur à carne victi, & in concupifcentiam prolapsi: is autem neglector, & pravus circa rerum fibi creditarũ curam eft inventus. Ex his verò qui in virgines exarferunt, nati funt hi qui Gigantes funt appellati. Itaq; Angeli lapsi de cælo, circa aërem & terram, prohibiti deinceps cœlum repetere, verfantur: animi quoq; Gigantum circa mundum: hæc ille.

Tertullianus quoque eadem fenfit: quæ quidem doctiores melioresq; Theologi, quibus filiorum Dei notior fuit appellatio, nunquam dixiffent: non Hieronymus, non Augustinus, non Gregorius Nazianzenus, non prudentiffimus Chryfoftomus. Nec difficile

est erroris fontem agnoscere: nec durum probare solitas Sacras literas filios Dei nuncupare dilectos illi, illumq; colentes. Ut de Israële: ex Aegypto vocavi filium meum: & in Exodo: filius meus Israël: in Psalmo quoque 81. clara existit differentia, cum homines sunt filii Dei, & cum non sunt: Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi omnes: vos autem sicut homines moriemini. Ecce eosdem filios Dei & homines appellat: sed filios Dei, quia creati ab illo, factiq; velut Dii, futuriq; si Deum coluerint: homines autem, quia in terrenam fragilitatem delapsi, regis cœlestis imagine denigrata. Tales erant illi eluvionis tempore filii Dei, bona progenies ex Seth, quæ commista cum filiabus hominum, scilicet corruptissimis fœminis, quæ sicut uxor Adam, deincepsq; fermè omnes sic maritos suos corruerunt: unde corruptiores filii nati, origo mali, sanguinis pii cū impio commistio; propterea nati bellicosi, superbi, contumeliosi. Hæc sunt veriora, à natura non abhorrentia: cum illa non absint à fabulis Poëtarum. Nec natura fieri potest, nec assentitur Philosophia, spiritus corpore nudatos, amore fœminarum capi, aut ex iis generare potuisse. Habet enim fontem suum & inferiores ortus, cupiditates: si desit causa, desit effectus. Ubi non sunt membra genitalia, non est amor coëundi. Ubi non est cibus & potus, non est sperma. Ubi non fuit quærenda successio & propagatio, nō adhibuit natura cupi-

cupiditatem generandi. Sicut spiritus nudi si-
 tire aut esurire nō possunt, sic Veneris libidine
 nequeunt inflammati. Absurdū quoq; duo es-
 se genera dæmonū: tum ipsos Angelos lapsos
 in concupiscentiam, tum animas Gigantum.
 Fuerunt n. Gigantes homines, nec ex homini-
 bus faciendi sunt dæmones: nec casus eorū fuit
 q̄ exarsissent in amorem. Erunt igitur fabulosi
 dæmones, tam quos libido rapuisset, quàm ge-
 nerati ex eis. Tales eiūt, quales Hector, Achil-
 les, Aeneas, Hercules ex hominibus & Diis
 nati apud Poëtas. Hæc Augustinus Steuchus.

A cujus sententia, inquit Wierus ², ratio-
 nibus & veritate comprobata, quamvis La-
 ctantius ^k *in iudæis* discrepet, in universali
 tamen de gentiliū Diis *Jæd* non discedit. Sic
 enim argumentatur. Quid est autem tam re-
 motum à Deo, quàm id opus, quod ipse ad p-
 pagandā sobolem mortalibus tribuit, & quod
 sine substantia corporali nullum potest esse?
 Dii ergo si sint immortales & æterni, quid o-
 pus est altero sexu nimirum ut generentur. I-
 psa progenie quid opus est? cū successione
 non egeant qui futuri sunt semper? Poterat hîc
 argumentum validissimum. Lucretii addere:

Si numina nasci

Credimus, haud quenquam fas est cœpisse Deorum.
 Sequitur apud Lactantium, ut habeat vel
 ministros, vel in quos ipse possit domina-
 ri. Quid igitur opus est sexu fœmineo, quum
 DEUS, qui est omnipotens, ut vocatur, sine

usu & opera fœminæ possit filios procreare? Nam si quibusdam minutis animalibus id præstitit, ut sibi è foliis natos, è suavis herbis ore legant: cur existimaret aliquis, ipsum Deū, nisi ex permixtione sexus alterius, non posse generare? Illos igitur, quos imperiti & insipientes tanquam Deos & nuncupant & adorant, nemo est tam inconsideratus, qui non intelligat, fuisse mortales: hæc Wierus.

Quarta ergo est horum Moysis verborum explicatio, Orthodoxorum Doctorū, quorum sententiam hanc esse censemus. Genes. 6. capite, filiorum Dei nomine intelliguntur, qui religionis puræ, pietatisq; sectatores videri volebant, eumq; profitebantur, præsertim ex Sethi & Enoschi posteris. Locū parallelum habemus Hoseæ: Eritq; pro eo, quod dicitur istis, nō popul⁹ meus estis, ut dicatur illis, filii Dei fortis viventis estis. Utriusq; tamē loci, nō absolutè par est ratio. Ibi enim, apud Mosem, filii Dei, dicuntur æquivocè, hypocritæ videlicet, qui pro filiis Dei, i.e. religiosi ejus cultoribus haberi gaudebant, speciem aliquā pietatis præ se ferentes, vim interea ejus omnem abnegantes. Hic verò in Hoseæ loco, filii Dei univocè appellantur, nempe sinceræ pietatis verè amantes ac studiosi. Si causam paraphraseos Chaldaicæ, quæ reddit, filios magnatum vel principum scire desideremus, observandum erit: Paraphrasten vocem Elohim, non propriè, sed appellativè accepisse. Propriè vox ista accepta, signi-

significat DEUM illum fortissimum, qui natura talis est. Appellativè vero ac relativè sumpta, denotat reges, principes, aliosq; magnates, qui dii & filii altissimi vocantur, non naturæ divinæ respectu, sed propter officium verè divinum: sunt enim Magistratus velut hæredes DEI, succedentes in partem aliquam iudiciariæ auctoritatis ipsius, quam ipsis attribuit, ut parentes principes, liberis: vide Psal. 82. v. 6. Paraphrastes autem hic non satisfacit, vel eam ob causam, quia Moyses filios DEI, id est hypocritas in vera Ecclesia delitescentes, comparat cum filiabus hominum, quorū pulchritudine illi delectabantur. Intelligit autem per hæc filias hominum, mulieres quibus nulla pietas, nulla religio cordi fuit, prout tum affectum fuit humanum genus, exceptis paucis. Sic oportere accipi, demonstrat vox antitheticorum filiorum DEI.

Porro apud Jobum, filii DEI, sunt Angeli, divini spiritus ministrantes DEO, propter eos qui hæredes salutis futuri sunt. Heb. 1. vers. 14. Sic vocantur *ἄγγελοι*, ut à filiis hominum discernantur. Cætera, quæ filiis DEI apud Jobum attribuuntur, humanitus dicta, & à terrenis regibus desumpta sunt, ut 1. Reg. 22. v. 19.

Hinc patet quid Valesii opinioni tribuendum sit: nihil sanè: nec ille juvatur Jobi loco, qui inter filios Dei, satanam quoq; affuisse dicit: quando quidem Jobus, filios Dei, opponit Satanæ: quanquam & hic ipse, ut maximè sit

nostræ Salutis adversarius, DEO sistere & imperata facere cogitur. Et hætenus de loco Moysis.

^a Genes 6 ^b Actor. 13. v 5. ^c som. in Genes. 6. d lib. 2. in instit. divin. cap. 25. ^e de præpar. Evang. f cap. 1. vers 6. g lib 6 de peren. Philos. cap. 32. h lib. 1. hist. Jud. 3. i lib. 2. cap. 39. k lib. 1. institur. relig. 8. l cap. 1. vers. 10.

C A P. XXVII.

An viri etiam cum Succubis Dæmonibus misceantur.

CUM multorum sententiam, unus & idem dæmôn, modò Incubus, modò Succubus sit, mulieribus quidem Incubus, viris vero Sacubus, ita quidem ut vel corpus aliquod assument, vel miserorum mentes inanibus spectris ludificentur: cùm hoc patiantur non nisi homines planè impii, qui DEO relicto & spreto dæmonibus se addixêre & devovêre. Quare queritur, an viri cum Hyphialte sive Succubo dæmone, eo modo, quo Incubus dæmôn cû muliere, misceantur: quod aliqui asserunt & exemplis demonstrant. Nam apud Sprengerum, referente Bodino ^a legimus:

Confluentiæ fuisse Magû hominè robustissimum, qui corâ uxore & lociis hac ratione utebatur: & illos hominè huic actioni incumbentem, vidisse, nulla fœmina comparente.

Hieronym. ^b in vitis Patrum narrat, Monachû quendam à dæmone in mulieris venustiffi-

mæ forma, ad obscœnos invitatū fuisse ample-
xus: qui sua inclinās membra, effectus est sicut
equus & mulus, quibus non est intellectus. At-
que ubi jam carnalem conaretur inire ample-
xum, illa teterrimæ vocis ululatum emittens,
umbra, ut erat, tenuis & phantasma inter ma-
nus amplectentis elabatur, ipsumq; miserum
cum tœdissima irrisione, deseruit.

Joannes Francisc. Picus^e Mirandulæ Prin-
ceps, scribit se agnovisse Sacerdotem Benedi-
ctum Bernam, ætatis annorū septuaginta quin-
que, qui annis plus quam quadraginta, cum
dæmone familiari, sub forma fœminæ illi asso-
ciato concumbebat, in forum deducebat, al-
loquebatur, adeò ut astantes, qui nihil vide-
bant, eum pro fatuo haberent. Vocabat autē
illam Hermelinam, quasi mulier esset: item
puerulorum multorum sanguinem à se fuisse
haustum, horrendaq; scelera non pauca com-
missa, ideoq; vivum crematum esse.

Alium quoque Pignetum, ait, nomine no-
vi, qui ad octoginta & amplius annos perve-
nerat, cum dæmone alio, qui muliebri forma
ei videbatur, vocabatq; eum Florinæ nomi-
ne, plus quadraginta annis venereas volupta-
tes exercuisse. Utramq; historiam Cardanus
^d refutat: & utramq; paucis mutatis Wie-
rus^e recenset:

Marullus^f scribit: Victorinum Episco-
pum, dum eremum incoletet cū dæmone sub
forma mulieris concubuisse, ob quod factum
ita

ita doluit, ut manibus in fissuram ligni impa-
ctis, herba cruda & aqua frigida per triennium
se sustentarit.

Haud multis annis post (scil. 1486.) in Ga-
reotha regione, vico quatuordecim vix pas-
surum millibus ab Aberdonia, Adolescens
multa formositate, coram Aberdonensi anti-
stite, questus est palam, sese à dæmone Suc-
cuba, ut dicunt, gratissima omnium quæ vi-
disset forma, multos antea menses infestatū:
tandem oclusis foribus, noctu ad se ingredi
blanditiis in sui amplexus compellere: dubia
luce abire sine strepitu penè. Nullo se posse
modo, quum plura attentasset, à tanta actam
turpi vesania liberari. Juret continuo optimus
Episcopus, adolescentem aliò se conferre, &
ut Christiana religione magis laudatis jejuniis
& orationibus plus solito accommodaret ani-
mum: fore, ut piis operibus intento, victus
cacodæmon tandem terga esset daturus. Eve-
nit adolescenti salubre consilium religiosè ex-
secuto, paucos post dies, uti venerandus anti-
stes erat præfatus: hæc Boëcius s.

*a lib. 2. cap. 7. b citat. quoque Wierus lib. 2. c. 46. c Picus
major in lib. de pranot. & Bodinus loc. cit. d lib. 15. de va-
riet. rer. cap. 80. e lib. 2. cap. 47. de prestig. demon. f lib. 2.
cap. 12. g lib. 8. hist. Scotica.*

CAP. XXIIIX.

*An ex viro Incubo & dæmone Succu-
bo liberi nasci poterunt?*

HOc nec Ægyptii olim concedebant, nec Hægo, inquit Delrius crediderim fieri posse: longè enim plura hic requiruntur: ut ad prolis generationem, partumque longè plura matres, quàm patres suppeditant: in conceptione par forte utriusque conatus, post, omnia solius sunt matris: requiritur tractus temporis, ut semen in corpus organicum commutetur, & absolutissima illa humani corporis architectura perficiatur: requiritur etiam continua vegetantis animæ operatio in fœtu alendo, & alia penè innumera naturæ arcana: quæ omnia, utrum tam multa, tam diu dæmon in assumpto corpore queat præstare, plurimum dubito, & potius arbitror non posse: Si possit, etiam Succuba poterit concipere. Interea dū quis convincat hæc illum omnia posse, censeo, quos legimus matre Succuba dæmone natos, vel supposititios fuisse alterius scemine veros partus, vel ab alio dæmone prolem ementitam ut non rarè contingit. Ad priorem suppositivi partus fraudem lubens retulerim cum Joanne Reynardo quod de Pictavorum Comitum ex Melusina origine referant fabulosæ Francorum historiæ: item de Andegaven-
fami-

familiæ stemmate, Polydorus Virgilius ^b: & al-
 terius cujusdam ex Gaufrido narrat Vincent.
 Bellunensis ^c, & quod ex ore Ducû Bavariz &
 Saxoniz acceptû narrat Sabinus: nec admodû
 dissimile quod de nobili Bavaro narrant alii, ei
 cum defunctam uxorem ferret impatientius,
 quadam nocte fœminã rediisse, seq; resuscita-
 tam dixisse & marito convixisse, & ex eo libe-
 ros suscepisse: quodq; futurum prædixerat, tã-
 dem, convitiis, & blasphemis non se abstinete
 marito, subitò muliebri veste penes illum de-
 relicta, evanuisse. Dæmon sic Nobili huic im-
 posuit & aliunde subtractos furto liberos sibi
 supposuit: ut, Delrius vult. Ad posterius genus
 fraudis, refero parvulos, quos non ex Incubis,
 sed per fraudem quasi ex Succubis dæmoni-
 bus natos, quos supposititios vocant, de qui-
 bus antea.

Ex Gaufrido Antisiodoro, Vincent. ^c scri-
 bit. Decanum quendam Sacerdotum, cum so-
 rore Ducis Burgundiz, regi Siciliz Rogerio
 desponsata, aliquandiu in eo regno habitasse,
 qui se rem ibi comperisse admirabilem certissi-
 mē affirmaret. Juvenem videlicet quendam
 strenuum & natandi peritum, circa noctis cre-
 pusculum lucente Luna in mare balneasse &
 mulierem post se natantem crinibus apprehē-
 disse, tãquam ex sociis aliquem, qui eum mer-
 gere vellet. Quam alloquens, ne verbum qui-
 dem ex torquere potuit: quare opertam pallio
 domum duxit, & tandem in uxorem solenni-

tēr accepit, filiumque ex ea suscepit. Increpatus aliquando à socio, quod phantasma amplexus fuisset, expavescens, gladio extracto conjugī minabatur, se filium quem ex ea susceperat interfectorum, nisi ipsa loqueretur, suamque fateretur originem. Quæ, væ, inquit, misero tibi, utilem perdis uxorem, dum me effari cogis: tecum mansissem: ac in rem tuam esset, si inunctum mihi silentium permisisses. Nunc autem me posthac nō videbis: & vestigio evanuit. Puer autem adolevit, & marinum cœpit frequentare balneum. Tandē die quodam coram multis puerum in eisdem fluctibus occurrentem rapuit phantastica illa mulier. Ulricus Molitor LL. Doctor ^d puerum hunc dæmonem fuisse in pueri forma apparentem & matrem Succubam, dæmonium scilicet, arbitratur.

Exemplum sequens Jacobus Ruff Chirurgus habet. Erat cujusdam lanii servus, qui iter faciens & de libidine cogitans, mox obvium dæmonem egregia mulieris forma habuit, cū qua, ignarus, se cum dæmone rem habere, concubuit. Sed mox pudenda ejus inflammata, cita tabe exulcerata sunt. Solet autem hæc DEUS justus pro puniendis sceleribus & admonendis hominibus justo judicio permittere.

a lib. de peregrin. gen. hum. serm. de impij. hom per diab.
 b lib. 13. hist. Angl. c lib. 3. specul. natur. cap. 26. d in tract.
 de lamiis & Pythonicis.

C A P. XXIX.

An Incubus dæmonis sit illusio?

Illusiones dæmonis esse Incubos sunt qui velint: etenim Martinus de Arles ^a Theologus, ait, nec solum apud maleficas, sed & circa alias probas mulieres accidit hæc Incubi illusio. Nam ex sacerdotis cujusdam relatu accepi, hoc tempore ipsi in confessione revelatum fuisse à quadam proba muliere nupta, cui sæpè in somnis videbatur, se revera super jumenta equitare per campos cum aliis: atq; ita evagando superaquam, coïte hominem cum ea, & intensam in actu se perferire voluptatem: & hoc sæpè ei accidisse phantasticè, illusionem dæmonis, manifestum est. Unde Augustinus ^b, illa quæ accidit, ut quidam recordarentur in quorundam animalium corporibus, aut falsa facta narrarentur, aut illusionibus dæmonum, hoc in eorum animis factum est. Si enim contingit, ut quis in somnis fallaci memoria recordaretur, aliquid fuisse quod non fuit, aut se fecisse, quod non egit: quid mirum est, si quodam justo DE occultoq; judicio finantur dæmones in cordibus hominum tale aliquid posse? hæc ille.

Quare Wierus, in suo de præstigiis dæmonum libro secundo, concubitus dæmoniavi-
vanitatem probaturus: primo astringit id, ratione sumpta ab hymene seu virginitatis zona,
quam

quam in virginibus, quæ à dæmone compressas esse sibi persuasere, obstetrices per inspectionem integram invenere.

Sed hic respondebit Delrius, semen à demone absque hymenis laceratione infandi posse: sed gravidam infra hunc hymenem parere non posse. Præterea hinc sciens & volens Rabbiorum fabulam, quæ Suidas habet de Beatissima Virgine Maria, quæ iussu Sacerdotum fuerit explorata, quo filius in ordinem Sacerdotum copretetur: præterea, inquam, ne plus nimium ipsorum nugis me ipsum oblectare velle videar: adduco tamen, ut ipsorum blasphemias, qualis hæc est, palam faciam & detegam.

Secundo probat iis, qui ex Augustino Struchio, Kisani Episcopo paulò antè adduximus. Tum historiis, quod etiam probæ matronæ Incubi illusionem infestentur: imò & improbæ, quarum uterus variis quisquiliis fuit repletus: & tandem historias, commixtiones diabolicæ figmentum comprobantes, ex Boëtio Scoto, Vincentio & Mirandula adducit, quas fabulosas & dæmonis illusiones esse asserit.

Delusorii adulterii exemplum ex Wiero his accedat, apprimè ridiculum. Mercatoris cujusdam uxor, circiter sex, vel septem miliaria à Witenberga Silesiam versus, absente negotiationis causâ, marito, peculiarem solebat admittere concubinam. Contigit itaque marito peregrè agente, amasium nocte redire: & post curatam cuticulam, venereamque peractam

etiam velitationem, ut videbatur, hora matu-
 tina, specie Picæ assumpta momento, con-
 cubinum insidere promptuario, ac concubi-
 næ his verbis valedicere: hic tuus fuit amasi-
 us: dictoque citius evanuisse, nec rediisse
 unquam. Verum Wierus vult nugas esse. Et
 Paræo; si quando ex dæmonum consortio
 gravidæ mulieres parere videntur, id dæmo-
 num præstigiis fieri credendum est, nempe
 viventium mulierum corpora detritis pau-
 nis, ossibus, ferramentis, spinis, intortis pi-
 lis, frustis ligneis, serpentibus & mille alia-
 rum discordantium contra naturam mulie-
 brem, rerum farraginem infarcire solent:
 quibus postea adveniente velut partus tem-
 pore, per ejus, quæ falso prægnans creditur
 vulvam, ante occæcatis & præstrictis adstan-
 tium muliercularum oculis, exitum suis præ-
 stigiis moliuntur: cujus rei fidem faciet se-
 quens multorum fide dignissimorum scripto-
 rum literis consignata historia (subjicit autem
 mox sequentem ex Ruff historiam) hæc Pa-
 ræus.

Quare & Jacobus Ruff^o de Merlino agens
 fabulamque censens, scribit. Si hujus mater
 saga & venefica extitit, non puduit hanc in
 dæmonis gratiam tantum proferre menda-
 cium ad pervertendos falsa opinione hac mul-
 torum animos. Concubuisse potest, at non
 hominem ex illo concepisse: si non concu-
 buit, tamen præstigiis uterum illius inflare po-
 tuit,

tuit, ut se ex illo gravidam esse putaverit. Exacto etiam tanto tempore, quando uterum gestare solent mulieres, dolores quoque in utero graves excitare & aliunde sublatum infantem dolosè supponere: tumores etiam illos ventositate aliqua concitatos continuò solvere & reprimere potuit: nam & tale quiddam nostrorum quoque temporum experientia, constat. Constantiæ enim, formosa quædam cujusdam civis famula, Magdalena nomine, à dæmone fuisse compressam, postquam in carcerem conjecta illi (piorum verbi DEI ministrorum consilio divinis motivationibus) per pœnitentiam valedixisset, tantos in utero ex eo tempore cruciatus sensit, ut in singulas ferè horas infantem sibi enitendum esse, crederet. Sed sæpius adhibitis obstetricibus, clavos ferreos, ligna, vitra confecta, crines, stuppam, lapides, ossa, ferram & hujusmodi per matricem excrevit innumera, quæ nimirum malus ille dæmon subdolè & malitiosè supposuit & importavit omnia.

Sententia Wieri est: Magdalensæ phantasiam fuisse à diabolo illusam: deinde ab eodem excitatos illos dolores, ut certius illum cum ea congressum fuisse crederetur, quod tamen falsum erat. Ut deinde conceptam augetet opinionem, subjecit subdolè res illas prodigiosas, quas in matrice

non fuisse (quemadmodum ea etiam quæ ore rejiciuntur, in imo corpore non fuere) non est, quod hîc pluribus comprobetur: quum eadem sit ratio. Nam quum omne semen suum simile procreet, quomodo ex semine in ea coitione fuso, tales potuerunt generari materies? Enimverò, si in utero hæssissent, procul dubio hîc non modo lætus, sed insigniter dilaceratus fuisset, quum essent materies duræ, asperæ, inæquales, acutæ & quidem copiosæ: Si quoque illa fuisset inspecta, hymen certissimè apparuisset inviolata: hæc Wierus. Quare cum Jamblichò ^d concludit, quæ fascinati imaginamur, præter imaginationem nullam habent actionis & essentiæ veritatem.

At Delius ^e: quæ adversarii objiciunt exempla illufarum aliquando muliercularum, ea nos non refellimus, nec rejicimus, præsertim contestata illa mira apud Jaquerium ^f & Martinum Arelatensem ^g: sed contendimus ineptè illos hinc inferre, aliquando deluduntur: nunquam ergò id verè contingit: ex particulari affirmativa, inferunt universalem etiam affirmativam, in materia non necessaria, quod ineptum est.

Quare dicit, ex concubitu Incubi cū muliere, aliquando prolem nasci posse, & tum prolis verum patrem, non fore dæmonem, sed illum hominem, cujus semine dæmon abusus fuerit.

Sed cum de Ephialtis & Hyphialtis, sive
Incu-

Incubis & Succubis sufficienter dixerimus, materiam hanc concludemus, si prius & Rabbiorum de horum generatione sententiam subjunxerimus.

Rabbini omnes hanc impiam & blasphemam fabulam peragunt : ipsum Adamum per centum & triginta annos ab uxore separatum fuisse, & interea ab ipso spiritus malos fuisse genitos. Post Cainum & Abelem natos, incidit fratricidium, Caini exilium, urbis exstructio, familiæ ejus per aliquot generationes propagatio: inde Genesi scribitur : Adamum fuisse centum & triginta annorum cum Sethum genuit. Hoc temporis spatio, fabulati sunt prisca Hebræorum, Adamum se ab uxore separasse, partim ex mœrore & luctu, ob Abelem occisum & Cainum degenerem, exulem & reprobum: partim pœnitentiæ causa, ut DEUM iratum placaret. Quod autem dicto loco scribitur, Adamum in Setho primum & deinceps genuisse ad similitudinem suam, inde Hebræi censent Cainum & Abelem non fuisse ad similitudinem ejus, sed potius ex pollutione, quam serpens in Evam ejaculatus fuerat, ut docet R. Abraham ^b. Ideò Caini tam reproba natura, à pietate parentis Adami toto genere discrepans. Abel quidem probior, sed quia ob innatam pollutionem ex serpente, extinguere potius debuit quam vivere. Adam & Eva interea pœnitentiam

agentes, ille novam generis propagationem à DEO consecutus est: Eva à pollutione serpentis expurgata fuit, & sic in Setho primum & deinceps ad similitudinem suam liberos propagavit. Interea tamen utriusque natura corrupta, illis centum triginta annis, non potuit se omninò ab omni libidine continere. Adamus cum Succubis dæmonibus incalescens, vel hi cum ipso, genuit dæmones mares: Eva cum Incubis dæmonibus similiter incalescens, produxit dæmones fœminas, lamias nocturnas & similia spectra.

Hæc fabulosa antiquitas commenta est, & fidem apud posteros consecuta sunt, adeò ut etiam in corpus Juris ipsorum, id est, Talmud ipsum relata sint. Nam in Codice Ervinⁱ, in hunc sensum legitur. R. Jeremias, R. Eliesaris filius inquit: omnibus istis annis, quibus fuit Adamus primus separatus ab uxore sua genuit spiritus dæmones & lamias nocturnas, juxta id quod scriptum legitur: Adam autem vixerat triginta & centum annos, quando genuit ad similitudinem suam, & ad imaginem suam, vocavitque nomen illius Sethum &c. Evincit hic locus, quod ad hoc usque tempus non genuit ad imaginem suam. Sic Rabbi Meir dicere solitus fuit: Adamus primus magnus sanctus & pius vir fuit: cum enim videret sua culpa mortem in mundum introductum fuisse, consedit in jejunio centum & triginta annis, & tamdiu separavit se quoque

ab

ab uxore sua, & obduxit cingula ficulnea carni suæ, quia videbat fluxum seminis impurum. Glossa: Fieri ex eo dæmones, phantasmata & lamias nocturnas. Hæc in Talmud, quæ eadem citantur in libro Jalkut 8.

In paraphrasi Chaldaica Jonathanis k: & rursus cognovit Adam uxorem suam post centum & triginta annos, ex quo occisus fuit Abel. Et Genes. 5. 3. transfert: & fuit Adamus natus centum triginta annos, quando genuit Sethum, qui fuit ad imaginem ejus & ad similitudinem ejus. Nam antea genuerat Eva Cainum, qui non fuit similis ipsi. Abel autem occisus fuit & Cain in exilium expulsus, sic ut in Genealogiæ Catalogum non venerit. Postea verò ad similitudinem suam genuit Sethum, qui familiam ab Adamo inchoavit.

In eandem sententiam scribitur in capitulis R. Elie'aris l: in R. Berhai^m legitur, Rabbinus nostri prolixè docent in historia Adam primus, quòd omnibus istis centum triginta annis, posteaquam fuit reprehensus & castigatus à DEO propter peccatum, genuerit spiritus, dæmones, lamias & phantasma nocentia. Atque hæc est dignitas & perfectio in homine, quod ex eo provenerunt spiritualia, quæ sunt in circulis quatuor elementorum, tum etiam spiritus intelligentes, qui sunt in excelsis; hæc ibi.

Chaskuni ⁿ scribit : & genuit ad similitudinem suam, sed omnibus centum & triginta annis quibus fuit separatus ab uxore sua, & spiritus conceperant ab ipso, non genuit ad similitudinem & imaginem suam, sed tantum spiritus. Hæc communis est Rabbino- rum de hoc loco sententia, quam idcirco pluribus comprobare testimoniis, minimè necessum judico. Hactenus de Rabbino- rum opinione.

^a tract. de superst. num. 7. & Wierus lib. 2. cap. 44. ^b super Genes. ^c lib. 5. cap. 6. de concep. hom. ^d lib. de my- steriis ^e lib. 2. disquis. mag. quest. 15. ^f lib. 2. flagel. ha- ret ^g cap. 5. vers. 3. ^h in lib. fasciculi myrrha Genes. 4. ⁱ cap. 1. fol. 18 ^k Genes. 4. vers. 25. ^l cap. 22. ^m Genes. 5. fol. 15. col. 4 ⁿ Genesios cap. 5.

Concludendo ergo dicimus, omnibus con- stare, demonis imposturas infinitas esse, ita ut docente Sacra Scriptura, se quoq; in An- gelum lucis transformare, & hominum et- iam figuras assumere, & justo permittente DEO referre possit, id quod varia rerum ex- perientia testatur.

Quare cum duplex sit Incubus, ater natu- ralis, alter dæmoniacus, ut utrumque effugere possimus : illum quidè, qui potissimum à cra- pula causatur, sequamur Salvatoris nostri Christi consilium apud S. Lucam: Cavete, in-
qu it,

quit, vobis, ne quando graventur corda vestra
 crapulâ & ebrietate, & hujus vitæ curis, subit-
 usque vobis ingruat dies ille; tanquã laqueus
 enim superveniet in omnes qui sedent super
 faciem totius terræ. Vigilate itaq; omni tem-
 pore, deprecantes, ut liceat vobis effugere ista
 omnia quæ futura sunt, & stare ante filium
 hominis: quare Apostoli gentiũ regulam no-
 temus, ut sobrii simus. Hunc verò (ad quem
 nulla se remedia habere, nisi rectam fidem &
 Christiana opera, Dominicus Leonus in sua
 praxi scribit) ut evitare possimus, similiter
 Christi regulam sequamur: Vigilemus omni
 tempore, ne in laqueos diaboli incidamus: &
 ut Paulus, omni tempore & indefinenter ore-
 mus; quia diabolus, ut monet S. Petrus, tan-
 quã leo rugiens circumcurrit, quærens quem
 devoret: cujus ut effugere possimus os, faxit
 omnipotens, unus trinusq; DEUS.

Et hæc præter spem fusiùs de monstroso-
 rum partuum causis omnibus & singulis dicta
 sunt.

C A P. XXX.

De Causis Hermaphroditorum.

CUM in genere de causis partuum mon-
 strosorum egerimus, nunc in specie cau-
 sam

sam generationis Hermaphroditorum inquit remus, præmissâ quæstione à Divo Augustino 4 motâ, cùm & in ea de Hermaphroditis agatur: an scilicet ex propagine Adam, vel filiorum Noë, quædam genera hominum monstruosa prodierint? verba ipsius hæc sunt.

Quæritur, utrum ex filiis Noa, vel potius ex illo uno homine, unde etiam ipsi extiterunt, propagata esse credendum sit, quædam monstruosa hominum genera, quæ gentium narrat historia: sicut perhibent quosdam habere unum oculum in fronte media: quibusdam plantas versas esse post crura: quibusdam utriusque sexus esse naturam, & dextram mammam esse virilem, sinistram muliebrem, vicibusque alternis coëundo & gignere & parere: aliis ora non esse, eosque per nares tantummodo suscepto & emisso halitu vivere: alios statura esse cubitales, quos Pygmæos, à cubito Græci vocant: alibi quinquennes concipere fœminas, & octavum vitæ annum nō excedere. Item ferunt esse gentem, ubi singula crura in pedibus habent, nec poplitem flectunt, & sunt mirabilis celeritatis, quos Sciopodas vocant, quod per æstum in terra jacentes resupini umbra pedum se protegant: quosdam sine ceruice, oculos habere in humeris, & cætera hominum, vel quasi hominum genera, quæ in maritima platea Carthaginis musivo picta sunt, ex libris deprompta velut curiosioris historia. Quid dicam de Cynocephalis, quorum

canina capita, atq; ipse latratus magis bestias,
 quàm homines confitetur. Sed omnia genera
 hominum quæ dicuntur esse, esse credere non
 est necesse. Verùm quisquis uspiam nascitur
 homo, id est, animal naturale, mortale, quam-
 libet nostris inusitatam sensibus gerat corpo-
 ris formam seu colorem, sive motum, sive so-
 num, sive quamlibet vim, qualibet parte, qua-
 libet qualitate naturæ, ex illo protoplasto uno
 originem ducere nullus fidelium dubitaverit.
 Apparet tamen quid in pluribus natura obti-
 nuerit, & quid sit ipsa raritate mirabile. Qualis
 autem ratio redditur de monstrosis apud nos
 hominũ partibus, talis de monstrosis quibus-
 dam gentibus reddi potest. Deus enim creator
 est omniũ, qui ubi & quando creari quid oport-
 teat, vel oportuerit, ipse novit: sciens universi-
 tatis pulchritudinem, quarũ partium vel simi-
 litudine, vel diversitate contextat: sed qui totũ
 inspicere non potest, tanquã deformitate par-
 tis offenditur: quoniã cui congruat, & quo re-
 feratur, ignorat. Pluribus quàm quinis digitis
 in manib. & pedibus nasci homines, novimus;
 & hæc levior est quàm illa distãtia: sed tamẽ ab-
 sit, ut quis ita desipiat, ut existimet in numero
 humanorũ digitorum errasse Creatorẽ, quam-
 vis nesciens cur hoc fecerit. Ita etsi major di-
 versitas oriatur, scil. ille quid egerit, cujus ope-
 ra justè nemo reprehẽdit. Apud Hipponẽ nat⁹
 homo quasi lunatas habẽs plãtas & in eis binos
 tantũmodo digitos, similes & manus: si aliqua
 gens

gens talis esset, & curiosæ atque mirabili ad-
deretur historiæ. Num igitur totum propter
hoc negabimus ex uno illo qui primus creatus
est, esse propagatum? Androgyni, quos etiam
Hermaphroditos nuncupant, quamvis admo-
dum rari sint, difficile est tamen ut tempori-
bus defint: in quibus sic uterq; sexus apparet,
ut ex quo potius debeant accipere nomen, in-
certum sit: à meliore tamen, hoc est, à masculi-
no, ut appellarentur, loquendi consuetudo
prævaluit: nam nemo unquam Androgyne-
cas aut Hermaphroditas nuncupavit: hæc Au-
gustinus.

Nunc causas ex Physicorum & Medicorum
scriptis depromptas, subjiciamus; quæ partim
à causa tam materiali, quam efficiente, partim
ab uteri cellulis, partim denique à decubitu, &
conceptionis tempore, desumuntur.

Hippocratem veram & unicam Androgy-
norum causam in materiam retulisse, Liebaul-
tius ^b censet: quando utriusque & maris & fœ-
minæ semē æqualiter & viribus & copia cōve-
niunt: ex quibus facultas formatrix, quæ sem-
per simile formare nititur, utpote ex masculi-
no masculum, ex fœmineo fœmellam, & sic
format corpus, in quo uterque sexus, qui Her-
maphroditus nominatur, reperitur. Sed quid
de Hippocratis sententia nobis videatur, in
principio libri exposuimus.

Hæc haud dubiè Paræum movêre, ut scri-
beret Hermaphroditorum sive Androgyno-
rum

rum monstrosos fœtus, à seminalis materiæ ubertate, causam suæ generationis & conformationis obtinere, evenire etenim ubi mater tantùm seminalis materiæ, quantum vir effundit: hinc enim fieri, ut dum facultas formatrix, quæ semper aliquid sibi simile fingere conatur, in utramque materiam paribus ferè viribus incumbat, sicque faciat, ut in eodem corpore uterque sexus visatur. Sic & Boscius^d, eorum ortum æquipollentibus marium & fœminarum seminibus adscribit, Avicennæ sententiam, qui diebus conceptus attribuit, refutans, ut infra plenius.

Parmenides^e verò Græcus, qui longè ante Galeni tempora vixit, in libris quos de Natura scripsit, Hermaphroditos, & qui utriusque Veneris appetentia tenentur, progigni auctor est, ubi videlicet virtutes, quæ seminibus insunt, permixto semine corporeo, separatæ permanferint: cujus versus Græcos, cùm Cælius Siciensis Methodicus bene Latinos reddiderit, adscribemus:

*Fœmina, virq; simul Veneris quæ germina miscet,
Venis informans diverso ex semine virtus
Temperiem servans bene condita corpora fingit:
Nam si virtutes permixto semine pugnent,
Nec faciant uno permixto in corpore, dira
Nascentem gemino vexabunt corpore sexum.*

At Galenus^f de horum generatione dubitare videtur: is enim in libris de semine adversus Empedoclem disputans, in mentionem

Her.

Hermaphroditorum incidit, divulsa esse maris & fœminæ membra negans, ut in fœminæ alia, alia in maris semine contineantur. Quamquam de genitalibus partibus solidis philosophus respondere potest pronunciatum à se intelligi: licet Aristoteles cum Galeno sentiat & ita accipiat 4. gener. anim. 1. versum sententiamq; Philosophi:

Ἀλλὰ διέσπασα μελέων φύσις, ἢ μὲν ἐν ἀνδρὶ,
ἢ δ' ἐν γυναικὶ, ————— id est,

Sed discerpta gerunt mas ipse & fœmina membra.
Verùm id quidem genitalibus admitti nullo modo potest, ait illic Galenus: nã vel in utroq; semine partes instrumentariæ & marium & fœminarum, vel in fœmineo fœminarum, in virili marium continentur. Utro modo id fit, addit, ex commixtione utrorumq; formationem fœtus existere omnino fatendum est: ut nobis omnes nati, tali specie nascantur, quali fictores seu Poëtæ eos qui Hermaphroditi vocantur, fingere consueverunt, qui utraq; membra genitalia tam maris quàm fœminæ integra habent. Quod si alterum ex his pereat, & crus, & brachium, & quodlibet aliud membrum pereat, necesse est. Ita Empedoclis opinio multis modis absurda, iudice Galeno evadit.

Averroës & in materiam quoque causam licet referat, attamen ei seminis parti adscribit, quæ hujus vel illius partis naturam obtineat: unde hæc, vel illa pars aut abundet, aut

deficit

deficiat, ut ex his ipsius verbis est colligere. Ex hoc etiam declaratur causa membrorum fœtus superfluatorum & diminutorum: nam quando fœminæ semen superfluit in majori quantitate, quàm pro uno fœtu determinata sit, non tamen tanta exuperantia fit, quæ pro duobus requiritur, tunc de necessitate hujus membra superflua habebit: membra enim sunt partes animati. Et hoc etiam fiet juxta materiæ superfluentis aptitudinem pro singulorum membrorum natura: nam si fuerit conveniens pro capite, erit biceps: si pro pedibus manibusq; pedes quatuor, aut manus quatuor habebit. Veruntamē hujusmodi varietas ipsius nati vivipari semper fit in membris ignobilibus: nam si in membris nobilibus id fieret, nequaquam vivum nasci posset: & licet vivum oriretur, vivere tamen nō posset. Quæ autē genitalia gemina habent; maris unū, fœminæ alterum, causa est ejusdem generis: (reliqua verba ipsis differentiis suprā adposuimus) Subjungit: defectus autem membrorū fit quoq; propter defectū partis materiæ convenientis huic membro: aut propter impedimentū receptionis formæ hujus membri: aut ob debilitatē virtutis agentis in discernendo materiā aptā huic membro. Et ejusmodi monstrositates magna ex parte in animalib. multiparis, multumq; coëuntibus, ut colūbis & gallinis evenire solet: quādoq; n. ovum bina vitella habēs, parit, paritq; colūba pullū, alas quaternas habentē: & agnus

cornu gerens in crure conspectus est, at hoc monstrum est extraneum. Excessus quoque & defectus in membris interioribus, quemadmodum in extrinsecis fit: hæcenus Averroës. Quibus forsan motus Gorræus referente Liebaultio ^b, causam non in totum semen retulit, sed in eam solùm seminis partem, cui vis inest genitales partes geminas efformandi, utpote masculum & fæmineum.

Hoc & Albertus Magnus ^b voluit, scribentis, generari cùm ex abundantia materiæ in uno membro, quod est circa inguen ibidem superabundante dividitur, & in uno vincat, & in alio vincatur.

Et Peucerus ^f retulit in materiam pro duobus non sufficientem, pro uno verò abundantem, his verbis: Si perficiendis duobus materia deficiat, unì tamen redundet, format vis διαπλασική, præter naturæ præscriptum, membra plura non necessaria, scilicet ad quorum sedes superflua detrudit, vel suo pte nutu decumbit materia, idonea potentia ad figuram illarum partiũ effingendam: hoc modo Hermaphroditus & Androgyni generantur, quibus membra sexus utriusque insunt: etsi è duobus alterum ferè imbecillum atque inefficax: & contingit nonnunquam alterum mutari, vel prorsus aboleri.

Levinus Lemnius ^k non solùm in seminis in utero fluctuantis, sed etiam in sanguinis inordinatum affluxum causam posuit, ut paulò
infra

infra videbimus, Avicennæ sententiam ex eodem explicaturi.

At Constantinus Africanus ^l, partim naturam, partim materiam accusat his verbis. Solet etiam in generatione quibusdam viris illud muliebre, & quibusdam fœminis illud virile membrum, quo luxuriantur, adijci, sed impedita, vel oblita natura fit. Nam cum aliquo eventu impeditur, sed obliuiscitur, illud materiæ humidæ superfluum, quod ad vastitatem, vel ad numerum alicujus membri solet disponere, ad alterius naturæ membrum sine ratione immittat.

Sic Pontanus ^m, & in materiam & causam efficientem ipsum calorem, causam retulit: is enim opinionem Physicorū de Hermaphroditis & geminis proponens, sic scribit: Volunt autem calorem, à quo existat generatio, moderatum illum quidem esse, & sua quadam certaque mensura contineri, utere autem, ac supra quam generatio ipsa exigit, exsiccare, ubi vehementior fuerit, adversarique propterea generationi: aquam namque ahenam contentam temperato ab igni, non secus quam à ferventiore calefieri, eo tamen differre, quod ab hoc ipso effervescente fiat evaporatio & major & resolutior, ut pene repente ab oculis aqua evanescat omnis. Oportere itaque tum genitale ipsum viri semen, tum mulieris excrementa illa menstruosa modum suum retinere, certosque intra fines cogi. Ni enim & ejus
 qui

qui agit, & ejus qui patitur, vis intra præscriptū
 coërceatur, frustra utrumque niti. Ubi verò
 accessio facta est aliqua, & ea quidem tanta
 quæ geminationi satis sit, fœtum ipsum in ute-
 ro ob accessionem eam geminari, idq; quod
 rarum sit, quod parum omnino solitum, jam
 pro monstro haberi, judicariq; portentosum.
 Eandem quoq; accessionem in parte quidem
 aliqua factam esse causam aut membri cujus-
 piam agnati, ac supervacanei: aut naturalis
 magnitudinis regulam prætergressi, quod vi-
 delicet in concipiendo fœtu materiæ ipsius
 plus constiterit, quàm quod necessarium esset
 parti illi constituendæ. Atque inde fieri, ut
 membra interdum ipsa majora formentur,
 quàm pro sua ipsorum natura, corporisq; reli-
 qui constitutione. Quin etiam usu venire ab
 hac ipsa causa, ut nonnunquam uterque sexus
 insit fœtui, maris scilicet ac fœminæ, etsi è duo-
 bus alter sit ferè semper imbecillius, inefficax-
 que, & ut ita dixerim clandestinus: contingat-
 que nonnunquam alterū aut mutari, aut po-
 tiùs aboleri, ut quæ priùs fœmina coierat mu-
 liebriter, pòst in marem versa, viri coëat mo-
 re, agatque quæ solita erat pati. Assseverant igi-
 tur agentem vim illam & procreantem cum
 æquabiliter sese ad alterutrum habuerit, ut aut
 prorsus superet, aut ut rursus superetur, eodem
 quidem aut virili, aut muliebri sexu fœminas
 nasci. At ubi partim vicerit, partim succubue-
 rit, tunc in diversum rem geri, atq; alterū ma-
 rem,

rem, alteram foeminam gigni: quod rarius tamen audio contingere, ac plerumque parum diu vivere. Utque propter materiae interdum ubertatem in procreatione adnascantur praeter naturae praescriptum membra non necessaria, ut sextus digitus, ut auris agnata auri, quod videlicet materiae plus insit, quam quod aut digitali, aut auriculari satis est parti. Sice contrario minus aliquando inest, ut cum in foemineo foetu conglutinatur pars illa genitalis, quaeque foeminam discernit a mare: in masculino autem, mari haud omnino prodeunt testes, neque virili modo propendent ab inguinibus. Gigni autem geminos tradunt, quoniam & cor duplex generetur, cum simplex; id est, unum tantum sit. In Androgyno, quo fit, ut perfici nisi unus foetus nequeat. Provenire haec igitur in geminis procreandis a materia & vi ejusdem duplicata & prevalida ad utrumlibet sexum consummandum. In Hermaphrodito autem secus, quod polleat ad neutrum, imo ad utrumque, ad alterum tamen, ut dictum est clandestinum atque irritum, quando ambo sexus nequeant in eadem aequabilitate agendi patiendiq; simul in uno consistere. Natura n. in hominum omnino genere, matrem discernit a foemina. Itaque in eodem simul corpore uterq; sexus, suo in gradu nequit consistere. Proficisci autem hoc ostenti genus a stella Mercurii, ejusq; cum Venere commixtione, nomen ipsum Hermaphroditi docet, a re ipsa inditum: causam vero afferri a

materiae ubertate majore, ostendunt etiã fructus arborei: haecenus Pontanus.

Alberti Magni ⁿ hæc fuit sententia; Hermaphroditos fieri (ipsius sunt verba) si qualitates contrariæ conjungantur, quarum utraq; sit complexionalis & terminans, & virtus formativa satisfacere potest utriq; sexui, tam in membris exterioribus, quàm in membris interioribus.

Alii sunt, qui Uteri cellulas in causa esse velint: censent enim in utero cellulas esse septem, ut videre est in libello de Anatomia parva, qui falsò Galeno adscribitur: cujus sententiæ fuere Theologi Scholastici, Albertus Magnus, Michaël Scotus, & inter Medicos, Gentilis, Niculus, Mundinus & Bonacchiolus: qui sinum quemlibet, scrobem vocant, quemlibet decem rugosos inflexus obtinere & septenas scrobes: rugas autem septuaginta enumerant, quare totidem foetus concipi posse contendunt.

At Galenus libello de Anatomia vivorum rectè reprehendit eos, qui in muliere quinque vel septem cellulas statuunt. Revera enim uterus cavitatem unicam habet, quæ beneficio tantum lineæ, vel futuræ obscuræ prominente, in dextrum & sinistrum sinum divisus dicitur: ut pleniùs in Theatro nostro Anatomico, capite de utero, ostendimus. Has putaras cellulas sic distributas censent, monente Vesalio ^o, ut tres sint in dextra uteri sede, masculis suscipiendis aptas: tres autem in sinistra, foeminis dicatas: septi-

septimam verò in harum medio existere, Hermaphroditisque consecratam esse. Vel ut Liebaultius, secundum opinionem eorum qui septem cellulas in utero constituunt, causa est copia seminis in cellula collecta.

At in Problematibus incerti auctoris Francofurti editis, queritur, quomodo generentur Hermaphrodite? Respondetur, per talem modum, quia in matrice sunt tres cellulae principales, una in dextro latere, alia in sinistro, tertia verò in medio, in quam semen elapsum, dicitur generare Hermaphroditem p̄ talem modum^p. Quia natura semper tendit ad melius: & sic intendit semper generare masculum, & nunquam foemellam. Quia foemella est vir occasione natus, & monstrum in natura, ut Aristot. in lib. de animalib. Quare aliquando generetur masculus, quoad omnia membra principalia; sed tamen propter malam dispositionem matricis, & objecti, & secundum seminis inæqualitatem, cum non posset perficere masculum perfectum, sic generat foemellam, ut Hermaphroditem: & is est impotens in membro virili, ut patet per experientiam: hæc ille. Hæc sane vulgi & muliercularum opinio est, quæ, ut rectè Lonæus Boscius⁹, ineptior, quàm ut refutari debeat: quemadmodum & hoc falsum, dum categoricè pronunciat, Hermaphroditum in membro virili impotentem esse.

Sunt qui velint horum generationem causari à decubitu minùs convenienti, vel in con-

gressu, vel post congressum. In congressu quidem, monente Lemnio ⁷, indecenti: nonnūquam ait, vitiosus hic infamisque conceptus ex indecoro concubitu conflat, cum præter usum ac commoditatem exercendæ Veneris vir supinus, mulier prona decumbit, magno plerumque valetudinis dispendio, ut qui ex inverso illo decubitu herniosi efficiuntur: præsertim cum distento, oppletoque cibus corpore inusitata hac inconcessâve Venere utuntur.

A decubitu supino post congressum: sic enim Dominicus Terellius ⁸, in muliere posteaquam virile semen receperit in utero, positura corporis observanda: semper vitanda est, quæ modo supino fit: quoniam cum maneat tunc semen in media parte uteri, non fit absolutus mas, aut fœmina, sed uterque simul, qui Hermaphroditus dicitur: cum enim attrahatur tunc nutrimentum, tam à dextra uteri parte quàm à sinistra, fit quod ob mixtum illum calorem cum frigore promiscuus sexus representetur; ut patere potest ex mulieribus Lunensibus (ut inquit Pierius) quæ nil curantes post seminis conceptum hanc posituram, plures Hermaphroditos generant, qui deinde cum possint virum agere, atq; mulierem, severissimè illos puniri, certissimum est, qui iuraverint se tantum velle munus obire viri, ac postea se viris fœminarum more subiciunt: vel si contrâ fuerit iuramentum, agere virum re-

per-

perti sint. Ex quibus patet, non undiquaq; verum esse, si contingat aliquem habere gemina genitalia, semper hoc ratum esse, illud irritum, ut Aristoteles ^r dixit; præsertim cum noverimus alios quosdam Hermaphroditos esse, qui in utroque sexu omnino impotentes sint.

Et Fenestella Annalium commentator meminit apud Lunenses Hermaphroditos esse, id quoq; referente Tertulliano ^o: quamvis Franciscus Junius suis in Tertullianum notis suspicetur Fenestellam de Lunensibus caseis olim laudatissimis scripsisse, volens per cathresin etiam Hermaphroditos caseos fuisse appellatos, ut qui ex duplici confinio facti.

Avicenna tandem in tempus conceptionis retulit, Lemnio ^k sic citante: Avicenna non proletarius, nec infimæ sortis auctor, tempus modumque præcreandi sexus describit: ubi, inquit, menses defluerunt, sitque absterfus uterus, quod quinto ferè die usuevenit, aut septimò, si vir mulieri congregiatur, à primo cum est purgata die ad quintum, marem produci: à quinto verò ad octavum, foemellam: rursus ab octavo ad duodecimum, denuo masculum: post illum verò dierum numerum, Hermaphroditum. Horum effectuum licet nullam causam afferat, probabilem tamen comminisci posse videor: primis enim diebus elota vulva, humoreque sordido ac-

curatè expurgato, plus caloris concipit uterus, quo virile semen potentius coalescit muliebri, atq; in dextrum uteri sinum dirigitur, hepatis dextriq; renis vi attractoria, è quibus etiã sanguis calidus in alimentũ futuri fœtus iis diebus derivatur: neq; enim sinistrae partes, utpote assiosæ ac frigidæ, sanguinisque inopes, statim à purgatis mensib. aliquid conferre possunt: sed serius ac parcius sanguis depromitur à sinistrae partis venis, quas emulgentes vocât, quæ splenem renemq; sinistra perreptant, sic ut post 5. demum diem usq; ad octavum ex illis aliquid sanguinis confluat, quo fœtus alendus est, ita cum istæ partes vires suas obeant, censenturq; dextræ ex situ loci, atq; alimenti frigidi ratione fœmella effingitur: post octavum diem dextræ partes rursus conferendi sanguinis munus sibi assumunt, atq; ex illis denuo scaturire sanguis incipit, masculo saginando. Post hoc dierũ curriculum, quoniam ex omni parte impromiscuè sanguis menstruus erumpit, ac vulva ex frigidi humoris affluxu plus satis uda efficitur, semenq; neutri parti associatur, sed in media uteri capacitare fluctuat, Hermaphroditum confusa inter se semina moliuntur, qui conceptus modò ex dextro, modò sinistro sinu vires formamque accipit, atque utriusque opera utitur. Hinc Androgyni nobis emergunt sive Hermaphroditi: quæ vox à Mercurio ac Venere appellationem sortita est. Sic & Lonç^o Boscius *, aliud inquit, Avicenna sentit, dum in hanc

hanc sententiã scribit, post mensiũ profluvium ex Venere die primo ad quintũ generatur masculus, deinde ad octavũ femella, ac ad duodecimum quoq; masculus; verum istis nec ratio, nec experientia suffragantur. Nam fœtus masculus, vel femella, prædominante nascitur semine masculo, vel fœmineo, dierum nullo discrimine, ut eodem die & momento quocũque masculi & femellæ nascantur. Si nascerentur Hermaphroditi, post duodecimum floris mensium diem, copiosior eorum numerus reperiretur. Quare ortus eorum æquipollentibus marium ac fœminarum seminibus adscribendi sunt.

Aliter Liebaultius^o & Ronsæus, Avicennæ sententiam proposuêre: ille enim refert Avicennam censuisse, Hermaphroditos concipi, si octavo die post fluxum menstruorum uterus concipiat: primis enim octo diebus, masculum aut fœminam concipi. At Ronsæus^o asserit, Avicennam velle, hos certis tantum à purificatione lunari diebus concipi: siquidem à mēstrua uterĩ purificatione, ad quintum usque diē mares concipiendi opportunissimum tempus esse: & à quinto usque ad octavum, femellas: ab octavo usque ad undecimum Hermaphroditos sive Androgynos, qui ex commixtione utriusq; sexus profiliant, muliebri simul ac virili insigniti pudendo.

Ast Rhodericus à Castro^o, posteaquam Lemnii verba proposuisset, subjicit, hanc sen-

tentiam perperam Lemnium & alios non sine crimine Avicennæ adscribere : quoniam ipse eandem omninò rejiciat, seu fortè quia autorem habere voluerunt eorum, quibus nec ratio, nec experientia suffragetur, eandemque, qua dicuntur, facilitate refelli posse: fœtum enim masculum, aut fœmineum, ex dierum discrimine non nasci: & si Hermaphroditi omnes essent qui post duodecimum à repurgata muliere diem concipiuntur, copiosior eorum numerus nasceretur.

^a de Civit. Dei ad Marcell l. 16. c. 8 ^b lib. 3. morb. mulieb. cap. 13. ^c lib. 24. cap. 4. ^d thes. 57. ^e hac quoq; habet Ronseaus de human. vit. primord. c. 10. ^f 2. de semin 3^o paragraph. in Aristot. in 4. gen. an. 4. ^h de animal. l. 18. tr. 2. c. 3. ⁱ in com. de precip. divin. gen. tit. Tetrascopia sive lib. 15. 6. ^k lib. 3. de ocul. nat. mir. c. 9. ^l lib. de hum. nat. cap. ult. ^m lib. 1. de reb. coelestib. cap. 6. ⁿ 2. physic. tr. 2. cap. 3. allegat etiam Jo. Baptista Bernardus in sui seminarii. tom. 1. p. 220. ex Alberto de animal. lib. 18. tr. 2. cap. 3. ^o lib. 5. Anat. cap. 15. ^p Liebault. l. 3. mulieb. cap. 13. ^q hac & sequentia quoque à Sanfloro in thes. Aristot. lib. 12. cap. 3. proponuntur. ^r in thesib. de humano conceptu, Ingolstadi anno 1582. th. 13. ^s lib. 1. de occult. cap. 9. ^t ex eo Liebault. lib. 3. cap. 13. ^u lib. 2. de gener. ^v partu hum. c. 10. ^w 4. gen. an. 4. ^x advers. Valentin. c. 33. ^y th. 54. 55. 56. 57. ^z lib. 3. mulieb. 13. ^{aa} de human. vit. & primord. c. 11. ^{ab} de nat. mulieb. par. 1. lib. 3. cap. 12.

C A P. XXXI.

*De Hermaphroditorum generatione
ex Mathematicorum sententia.*

Cùm dictum fuerit, quid Theologis, Medicis, Physicis & vulgo de Hermaphroditorum generatione videatur: nunc Mathematicos Astrologos audiamus.

Et si Andernacus ^a, quærenti Mathete, cur natura in corporibus humanis sic ludat, respondeat, se causam nullam præter syderum influxum, intempestivumque concubitum, malamque victus rationem existimare, cum hodie tanta sit vitæ & morum corruptio, tantaque libido, ut non mirum sit homines prorsus in bestias degenerare: attamen quis sit Syderum in horum creatione influxus non exponit.

Lonæus verò Boscius ^b scribit, Androgynos sive Hermaphroditos, opinione Astrologorum, ortus causam Astris debere, illis præsertim, quæ signa bicorporea occupant: hinc & Rhodericus à Castro ^c, alii Astris vitiosum conceptum potius acceptum referunt, iis præsertim bicorporea signa occupantibus. Et Peucero ^d monente, Astrologi Mercurii & Veneris conjunctioni causam adscribunt. Quare Camerarius ^e fabulam Hermaphroditi, Mercurii & Veneris
filiij

filius, qui cum Nympha Salmacide confusus perhibeatur, totam rem esse Astrologicam scribit: nam stellæ Mercurii cum Veneris stella in locis ac signis fœmininis congressus, natos facit molles & semiviros, atq; semimares: hæc enim Latina sunt nomina. Et Cœlius Rhodiginus *f*: genitum ex Mercurio Hermaphroditum fingunt, ob planetæ naturam quasi mediam, quippe creduntur fœminæ qualitatis Venus ac Luna ex humoris abundantia, cui dominantur: nam humecta vis in gignendi potestate, materiam suggerit: Soli, vis masculina tribuitur caloris potentia quem excitat, cui insitum sit, humidum exalfaciendo formam inducere, ac exalfactum animare. Et Sabinus *s*: Hermaphroditum fingunt Mercurii & Veneris filium, eò quod stella Mercurii, ob qualitates, quibus præditus est, mediæ naturæ putatur. Nam cum aliæ stellæ ab Astrologis dicantur masculinæ propter majus robur, quo calorem excitant: aliæ verò fœmininæ, propter debiliores vires & naturam humidi cui dominantur: Mercurii stella nunc humidum abundè excitat pro situ & motu suo, sicut Jovianus Pontanus docet de rebus cœlestibus.

Audiamus Ptolomæum *b*: εὐὸν δὲ ὁ ἔ Jovis, ἢ ὁ τῆς Veneris μαρτυρήσῃ, πρῶτον καὶ εὐαγγελμον ἔσται, τὸ ἔ πέρα τοῦ. ὁποῖον πρὸς τῆς ἑρμαφροδίτης, ἢ τῆς καλεσμένης ἀρποκρηλικῆς, καὶ τοιαύτης εἴωθε συμβαίνειν. Si Jupiter aut Venus in honore &

in pretio habebitur, quicquid fuerit portenti, cujusmodi quiddam circa Hermaphroditos & quos Harpocratiacos dicimus, aliosq; ejus generis contingere solet.

Hæc Ptolomæi verba, Cardanus ita interpretatur: quod dicit Ptolomæus, est, nativitates monstrorum similes esse his, qui non nutriuntur: monstra enim rarissimè nutriuntur: si tamen nutriantur (quia formam habent humanam) rarissimè vivunt: quædam tamen vivunt, quæ parum à natura humana sunt permutata. Velut dicit Haly, vidisse quosdam natos sine pedibus, alios sine manibus, quosdam sine auribus, &c. Et de his sunt Hermaphroditæ Græcè, Androgyni Latinè, & Harpocratiaci, id est, optimorum raptores. Tales igitur, quibus Jupiter & Venus & Mercurius favent, vivunt: ob idque divinant, quoniam extincta luce luminarium, vis Jovis, Mercurii & Veneris magis relucet. Si igitur monstra esse debent, Solis & Lunæ vim extinguere necesse est, & maleficos dominari in angulis. At si hæc contigerint, mori necesse est, nisi à Jove & Venere & Mercurio adjuventur, &c.

Idem Ptolomæus in quadripartito ait. Si Jupiter, vel Venus testificetur, nati proprietate quo fuerit illa mutatio, erit ut honoretur & sublimetur, eò quod ex hoc illa figura Armafrodhotis continget, id est figura ex Venere & Mercurio denominata, nec non figura quæ nuncupatur Arfocarazietu, & his similia.

Julius

Julius Firmicus Maternus junior ^k: si in genitura Sol & Saturnus, in septimo loco constitutis, in eodem loco Venus & Mercurius fuerint inventi, vel in duodecimo, vel in 6. eunuchos faciet, mulieresq; viragines, & quæ se nunquam virili coitu jungant: vel si se aliquando viro cõjunxerint, nunquam cõcepturas, vel partum edituras. Si verò sic his positis Mars se aliqua radiatione conjunxerit, vel cū ipsis fuerit inventus, Hermaphroditos faciet, in quibus se duplex natura jungat. Quod si his omnibus sic constitutis, Luna se aliqua radiatione sic conjunxerit, vel cum ipsis fuerit inventa, Archigallos faciet, & qui virilia propriis sibi amputent manibus.

Lubet exemplum ex Francisci Rosseti libello, quem de partu Cæsareo ^l scripsit, quemque Latinum fecimus, adponere. Videmus, inquit plures já adultos & etiã senes, maniacos, melancholicos & insanos redditos, sibimet ipsis, tam testiculos, quàm virgã excindere: quæ à me dum adhuc Grammaticæ studeré, Aureliæ observatũ, in quodã tum quoq; Aureliæ literis operam dante, postmodũ Episcopi Nannetensis Oeconomus, qui ex rabie amoris in profundas latrinas præcipitem se dederat: quo in loco omnia ea, quæ amoris morbum causabant, exciderat, maxima cum hæmorrhagia, cum ea perseverarit, donec inde extractus fuit, & tamen mortuus non est.

At Joan. Garcæus ^m, de judiciis geniturarũ

ple-

plenius, utpote Aphorismo tertio: Venus in domo Mercurii, aut finibus posita, Mercur. in domicilio Ven. aut ejus finib. Luna in Virgine, Capricorno Tauro aut Leone, cæteris erraticis masculinæ qualitatis in signis fœmineis, fœmininæ verò in masculis positis, quod sub hac constitutione nascitur, biforme esse solet, & neutram in partem sexus declinat: unde Hermaphroditi dicti sunt, mixto Veneris & Mercurii nomine.

Aphorismo 5. Venus in editissima cœli parte, cū Saturno collocata, aut à Saturno irradiata aliquo aspectu, Luna quoq; aspiciente Venerē quadrato aut opposito aspectu, crescente ipso lumine è signo fœmineo, Marte quoque percutiente illā hostiliter, aut in fœmineo tropico, vel squamoso signo, ut sunt Pisces, ei copulati, hic positus Hermaphroditū faciet, aut evirabit natū, aut ad muliebria patiēda impellet. Venus enim in hac constitutione, à Luna, Marte & Saturno, cum aspectu, tū copulatione infeliciter affligitur. In hac constitutione, Sol & Luna, si fœminea signa simul teneant, aut unā copulati, aut separatim incedentes, natum aut spadonem facient, aut fortè Hermaphroditum.

Aphorismo 7. Erunt etiā aut steriles, aut fortè spadones, hermaphroditicæ, quibus Venus à Saturno affligitur aspectu, Luna & Marte sibi invicē oppositis, & Mercurio tenente medium cœli: hæc cōstitutio est potentior cū ex angulis accidit.

Apho-

Aphorismo nono : Sole & Saturno tenente occasum, ipsa Venere cum Mercurio in sexto loco aut duodecimo, his si Mars copulatur, aut aliqua irradiatione conciliatur, duplici sexu foetus sæpè foedatur.

Idèⁿ, ostendens quomodo ex cõfigurationibus partus infelicitas colligatur, inquit: Breviter, ex Venere malè constituta de sterilitate, aut duplicitate, imperfectione sexus, aut eviratione judicandum est.

Sic Venus eodem in statu Marte Saturnoq; configurata; si Mercurius socius accesserit, vel eunuchos & eviratos, vel hermaphroditos faciet: Mercurii enim societate addita, commutatio hæc contingit.

Venus posita in septima cum Mercurio, mares eunuchos & exsectos decernit; mulieres viragines, prolemque nullam suscepturas. Si Mars his conciliator conjunctione aut aspectu, facit Hermaphroditos: hæctenus Garcæus.

Cùm de hac re, nostra sententia, apertissimè Jovianus Pontanus^o verba fecerit, loco conclusionis ea subicere lubet. Saturnus in culmine positus & Mercurio pariter conjunctus, si dominus genituræ, aut vitæ dator adverbabitur, malaq; Martis irradiatio accesserit, præterquam quod paralyticos, gibbosos atq; incurvos facit, faciet etiam aliquando Hermaphroditos: mox subjungit.

Quod igitur ad Hermaphroditos atq; Andro-

drogynos pertinet, quando Mercurii stella versatilis, ac penè dixerim promiscua est, sive quod Veneri copulata vires ejus augeat, ad progignendam fœminam, sive quod in illarum favorem proclinet stellarum, quæ masculam sobolem meditantur, de conjunctio-
ne profecto, ac commixtione radiorum ejus quod semini ac materiæ genitali uberio-
rem valentio-remque vim adjungat, hæc naturæ duplicitas manat, ut dum utrique favet æquo studio, non tamen ut geminos valeat gignere, aut alteri, ne omninò succumbat, fert superias, fœtus hæc sexusque sive incertitudo, si-
ve communitas provenit.

^a de medicin. com. 1. dial. 5. ^b de human. concept. thes. 53. ^c de nat. mulieb. par. 1. lib. 3. cap. 12. ^d com. de divinat. gener. lib. 15. cap. 4. ^e in coment. utriusque ling. ^f lib. 18. ca. 6. ^g in interpret. fab. Ovid. lib. 4. ^h de Astrorum jud. lib. 3. cap. 8. text. 20. de monstris. ⁱ seu de prædict. Astronom. lib. 3. cap. 8. in quo de monstris signis agit. ^k Astronomicôn vel Matheseos lib. 3. cap. 6. in quo proponit. Solis decreta per singulas cœli stationes, aph. 7. ^l sec. 4. cap. 7. ^m cap. 16. de frigidis & glutinatis. ⁿ cap. 20. de sterilitate. ^o de reb. cœlestib. lib. 10. cap. 5.

Y CAP.